

prorsus regio Galilææ; propter hoc dicebant Pharisæi: Interroga et vide, quoniam propheta a Galilæa non surgit. Verum ille tamen ne inde quidem erubescens vocari, ostendit quod nullius, quæ secundum hominem magna videntur, indiget. Nam et discipulos de Galilææ regione elegit, ubique occasiones amputans, desidia ac torpore languentibus, ac docens quod nullius rei indigeamus externæ, si voluerimus studere virtuti: propterea ne domum quidem uspiam possedit. Et Herodis insidias fugit, et natus in præsepio collocatur, et in diversorio manet, et matrem elegit pauperem: nos videlicet erudiens, ne quid horum erubescendum esse putemus. Itaque ab ipsis omnium principiis universam mundi pompam, superbiam atque arrogantiam calcans, solius nos sectatores præcepit esse virtutis. » Quam ob causam Joannes, Apocal. V. ̄ VII. vidit Christum, velut agnum occisum, de dextra sedentis in throno (Patris æterni) accepisse librum, non de sinistra; quia per dextram bona interna et spiritualia, per sinistram bona externa et fluxa significantur: « Quia veniens Christus in hunc mundum, inquit Rupertus in eum locum, per incarnationis mysterium, nihil divitiarum aut gloriæ de sinistra; sed tantummodo librum, sive igneam legem, accepit de dextra, bonum exemplum cunctis præbens discipulis et credentibus in se, nihil divitiarum aut gloriæ voluit aut quæsit in hoc mundo. » Quis autem melior et sapientior rerum omnium estimator, quam Christus, Dei sapientia? Errat igitur humana prudentia, quæ de externis tantum illis bonis sollicita, negligit interna, de sinistra Dei aufert bona, quæ ad modicum parent; de ejus dextera nil solidi et veri boni sibi quærit aut desiderat.

VI. Aliis consulere novit, sibi vero minime. Talis erat prudentia in Scribis et Pharisæis, qui quidem indicarunt locum, ubi Christus nasci deberet: ipsum vero Christum inter se commemorantem et miracula facientem non agnoverunt, sed signa de cælo ab eo petierunt: similes iis, qui arcam Noe et familiæ ejus struxerunt; ipsi vero non intrarunt, sed in diluvio perierunt. Ita Balaam regi Balæ prudens, sed pestiferum dedit consilium, quo Hebræos enervaret: sibi interim non consuluit, ne eorum gladio in prælio interiret, Num. XXIV. Celebratissimus erat in consiliis dandis Achitophel, adeo ut Scriptura dicat: *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi quis consuleret Deum, sic erat consilium Achitophel*, II. Reg. XVI. ̄ XXIII. Et dedit sane rebeli Absaloni efficax consilium ad stabiliendum sibi patris regnum: verum sibi ipsi consulere non

potuit. Cum enim ipsius consilio statim non esset per suffragia aliorum subscriptum, omnis consilii inops, quo se reciperet nisi ad laqueum, non invenit, II. Reg. XVII. Norat utique mansuetudinem Davidis, a quo, si veniam offensæ peteret, facile impetraret: id tamen huic tam nasuto viro in mentem non venit; quod tamen ille Semei et ipse regis majestatis reus observavit, et gratiam a rege impetravit. Itaque voluit hic, prudentissimus scilicet consiliarius, corpore et animo perire, ne solum corpus amitteret: voluit infamem laqueum proprio collo inserere, ne infamiam leviolem incurreret apud homines.

VII. Novit omnia eludere, omnes laqueos evadere, præterquam dæmonis. Excelluit hac prudentia, seu potius astutia, Dionysius senior, Siciliæ rex, qui sacrilegia sua facietis excusare dictis norat, Loeris Proserpinæ templum spoliaret: *Videtur, inquit, quam prospera navigatio a diis immortalibus detur sacrilegis?* Justin. lib. XXI. Val. Max. l. I. c. II. Idem Epidaurum Æscuro Æsculapio barbam auream detraxit, quod negaret decorum Apollinem imberbem, ipsum vero barbaturum conspici (Æsculapius enim Apollinis filius habebatur ab ethnicis). Jovi Olympico detraxit magni ponderis aureum amiculum, dicens æstate grave esse, hieme frigidum. Mensas aureas et æneas diis bonis inscriptas sustulit, asserens se bonitate deorum uti. Phialas aureas, pateras et coronas, quas simulacra porrectis manibus sustinebant, velut offerentia, tollebat, dicens se oblata recipere, non eripere; addens absurdum esse, a quibus quotidie bona flagitamus, ab his ultro porrigentibus nolle acceptare, Val. ibid. Bene de talibus dicitur Jerem. IV. c. XXII. *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Verum hi suo tempore incident in laqueos dæmonis, unde se extricare non poterunt. Cujus rei exemplum (quod alias obiter perstrinxi) recenset B. Petrus Damiani, lib. II. cap. CXV. « In Longobardiæ, inquit, finibus vii erat versipellis ingenii, et acutissimæ subtilitatis, duplex animo, sermone lepidus, concinnandis fabricandisque commentis edoctus, in reperiendis ac variandis consiliis vehementer astutus. Nunquam erigebat brachia contra torrentem, sed ex quocumque latere mundani turbinis eum aura perflaret, ille protinus aptum calliditatis atque versutiæ pallium opponerebat. Accidit autem ut hunc, post obitum, quidam frater nocturna visione conspiceret. Lacus erat igneus, qui flammivomis vaporabat incendiis, et crepitantibus ignium globis terribilem cernentibus incutiebat horrorem, quem lacum trabalis enormitatis vi-

debantur obsidere dracones, variaque serpentium genera, hinc inde per circuitum spatari. Vir autem ille, quem diximus, in ipsa flammarum stridentium voragine coarctatus, tentabat quidem effugere; sed, obstantibus bestiis, dolebat aditum non patere. Modo scilicet ex hac parte fugam parabat: sed ecce serpens obvius aderat. Per aliam partem erumpere satagebat: sed rursus alia bestia, laxo gutture stridens, iter occluserat. Ille rursus et alia ad evadendum loca tentabat, sed insurgentibus bestiis omnino meatus aufugii non patebat. Porro autem cum Veritas dicat: Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis; hoc illi justo Dei judicio contigebat: sicut enim ille, per carnalis astutiæ vanitatem, ex quibuslibet hujus sæculi se noverat laqueis expedire; ita postmodum, versa vice, nullo valebat ingenio supplicium, quo cruciabatur, evadere. Qui nimirum, si prudentiam quæ callebat in divinis studuisset exercere mandatis, non cremaretur inter rigida ora serpentum, sed gauderet potius inter agmina beatorum. »

Concludo cum recentiori alio, quod ex insulis Philippinis scripserunt ad nos patres nostri in residentia Spiritus sancti et Carigana commorantes de anno 1613. Ibi indigena quidam, multo auro et mancipiis opulentus, ab amico, pietatis cultore, admonitus est, ut, deposita avaritia, tandem Deo se traderet: *Memineris, inquit, quod in concione audivimus, qualiter Deus peccatores punit, quos diluxit quondam perdidit;* cui respondit avarus jocator: *Aurum habeo, quo scalam fabricabo ita sublimem, ut, si mundus iterum aquis obruatur, ad ætheream regionem possim ascendere.* Non multo post cum rivulum pertransiret, in pauculas lapsus aquas, interiiit. Ita conscribit Philippus Monettus, in annis annorum 1613. et 1614. Lugduni impressis.

CONCIO III.

ELEMOSYNAM DANDI MODUS, SEU INDUSTRIE.

I. Ultro danda. — II. Cito danda. — III. Danda omnibus. — IV. Liberaliter danda. — V. De melioribus danda. — VI. Cum discretionem. — VII. Clam, quoad fieri potest, danda. — VIII. Ex propriis danda.

THEMA.

Laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset. Luc. XVI.

Videbitur forsitan alicui hodiernum evangelium cum eo, quod præcedenti dominica legimus, non satis coherere. In illo enim audivimus non posse

ab arbore mala expectari fructum bonum: in hodierno vero audivimus villicum iniquitatis, utique malam arborem, protulisse fructum talem, quem laudavit ipsius dominus, quod prudenter egisset rebus suis prospiciendo. Verum est, auditores, prudenter rebus suis consuluit hic villicus; imo amplius quid dico, docuit nos omnium saluberrimam industriam et rationem exercendi artem omnium quæstuosissimam, quæ est elemosyna. Itaque malus villicus, mala ista arbor, fructum bonum tulit? Non certe, quia fructus ille vermem unum aluit, qui totum fructum perdidit. Elargitus est liberaliter in pauperes debitores oleum et triticum, et eo quo convenit modo: sed ex alieno, non ex suo. Hinc *villicus iniquitatis* appellatur; hinc arbor mala fuit, quia fructum tulit unico obnoxium defectui. Nos ergo fructum hunc gustabimus, sed vermem excindemus.

I. Ultro, non rogatus, convocavit debitores domini sui, ut remitteret eis debiti portionem. Ita monet apostolus, II. Corinth. IX. dandum esse elemosynam: *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Ad idem hortatur Tobias filium suum: *Etiam exiguum libenter impertiri stude.* Ergo imprimis dandum etiam non petentibus, uti docuit S. Augustin. in l. L. homilia XIX. « Perfecta est misericordia, inquit, ut ante occurrat esurienti cibus, quam roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Sed, si tacet mendicus, loquitur pallor in facie, pene lassus, fessus, et elisus, nusquam suspectus. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem, ne, quod debetur domino, vindicet sibi. Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Et ecce veniet tibi pluvia antequam roges; descendet ubertas nocte dum stertis, dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus, te nesciente, effunduntur. Lactat cælum et parturit terra, tot cellaria messium, dum nescimus, sic accipimus, et tantas opes comedimus antequam rogemus. Et tu, homo modicus, panem modicum precibus vendis? Non rogaverunt quatuor millia Jesum in deserto septem panes et paucos pisces, ut infinita agmina pranderent, qui prandio vicisset saltem usurum mensura. » Hanc doctrinam secutus inter alios S. Richardus episc. Cisterciensis: « Non raro stipem elargitus est etiam antequam rogaretur: cumque non deessent qui sciscitarentur, cur pecuniam daret non petentibus, respondit: Scriptum est: Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, itemque satis care emitur, quod precibus obtinetur, » apud Sur. 5. apr. Intellexit hoc et

Seneca, qui in l. II. de benef. c. I. ait: « Illud melius, occupare antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os corruat et suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis qui, cum rogasset, accepit. » Sic erimus filii Patris cœlestis, qui: *Desiderium pauperum exaudit*, Ps. VI. Deinde, dandum cum hilaritate: non enim ab ipsa donationis magnitudine vel parvitate, inquit Isidorus Pelus. l. epist. ep. CXVIII. sed ex animi proposito eleemosyna æstimatur. Male consulunt sibi in primis, qui mœsto aut amaro animo dant; de quibus August. in Ps. XLII. « Eleemosyna, inquit, plerumque fit a tristibus et murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus. At si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. »

II. Quod debitoribus dedit, cito dedit; ideo dixit eis: *Sede cito et scribe quinquaginta*. Idem in eleemosyna faciendum præscribit Sapiens, Prov. III. *Ne dicas amico tuo* (qui sane est pauper, per quem speras regnum cœlorum): *Vade et revertere, cras tibi dabo, cum statim possis dare*. Ubi Septuaginta addunt: *Non enim scis quid pariet sequens dies*. Bene hoc advertit S. Adalbertus II. Pragenses. ep. et mart. qui equitans pauperi viduæ subsidium petenti occurrens, cum dixisset: « Mecum hic nihil habeo, cras veni ad civitatem, sumens a me tuæ necessitati quæ dare valeo, mox tactus meliore cogitatione: Voca mulierem, inquit famulo: quis scit si usque mane vivam? Hodie compleat acceptio datum, ne ego iudicium, illa sentiat damnum. Et data cappa, qua amictus erat, reliquit exemplum bonum, ut opus non tardet, nescientibus quid futura pariat dies. » Sic auctor vitæ apud Surium, 23. april. Prima ratio est, cui accedit altera, quia, qui cito dat bis dat, mox sublevando necessitatem proximi. Tertio, quia cito dans, dat cum dono, et animum habet bene erga pauperem affectum. Unde Seneca, de benef. ait: *Si de die in diem trahens profuit, non ex animo facit. Itaque duas res maximas perdidit, et gratiam et tempus*. Quarta, quia aliquin cogis eum reverti, et rursus petere cum pudore, cum jactura temporis et lucri, ut videatur facilius potuisse emere. Gravius adhuc errant qui mendicos, prius quam dent, examinant; ad quod S. Chrysostomus, hom. XXI. in cap. XII. ad Rom. ita loquitur: *Ne scrutentur pauperum vitam atque negotia: nam extremæ illud insolentiæ est pro uno pane totam hominis miseriam curiose inquirere, etc.* Gravissime illi, qui etiam duris verbis petentibus datum exprobrant. Apud Baleares insulas, matres cibum infantibus in baculo porri-

gebant, teste Strab. III. et Vegetio, de re milit. l. I. cap. XVI. Matres Hibernæ nato infanti gladii mucrone primos cibos porrigebant, teste Solino, cap. XXXV. Nihil aliud videntur agere, qui cum verbis objurgationis dant miseris eleemosynam. Quid hac de re Seneca? « Fabius Verrococus, inquit, l. II. de benef. c. VII. Beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum vocabat; quem esurienti accipere necessarium scit esse acerbum. Tiberius Cæsar, rogatus a nepote M. Ælio prætorio ut æri alieno succurreret, edere illum sibi nomina creditorum jussit. Hoc non est donare, sed creditores convocare. »

III. Non uni, sed convocatis singulis debitoribus domini sui aliquid donavit. Pari ratione non uni tantum aut alteri, quia, v. g. propinquus, aut notus est, aut aliunde placet, danda eleemosyna, sed multis, imo quantum vires ferent, singulis qui comparent. Ita jubet, aut certe consulit Dominus, Lucæ VI. *Dum tempus, inquit, habemus, operemur bonum ad omnes*. In quem locum S. Augustinus, l. de sal. doc. c. LVI. « Ad omnes homines faciamus bonum. Ad omnes dico, non per partes; non ad unum, vel duos, aut tres, sed ad omnes homines. Christus enim non pro sanctis tantum est passus, sed pro peccatoribus et impiis et sceleratis ascendit in crucem, et passione sua nos omnes revocavit in vitam. Non sanctis tantum Deus dedit solem et lunam et pluviam et omnia nascentia terræ, et omnes fructus qui oriuntur in terris; sed in commune omnibus hominibus dedit illa, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos; ideo omnibus hominibus dedit in commune, ut bonum nostrum, et eleemosyna nostra, et charitas nostra, et patientia in commune omnibus hominibus distribuatur. » Similiter ac plane ad mentem Christi, Seneca, l. IV. de ben. c. XXV. *Si deos, inquit, imitaris, da etiam ingratis; nam et sceleratis sol oritur, et piratis maria patent*. Sic ille. Profuit hoc magnopere viduæ Sarephthæ, quæ, dum Eliæ Hebræo, cum ipsa esset gentilis, adeoque homini exoso (tales enim erant Hebræi gentilibus) imo et auctori sterilitatis ac famis, hospitium et mensam suam communicat, meruit fontem olei et farinæ in domo sua non deficientem, III. Reg. XVII. Quod advertit S. Chrysost. contra Jud. cum ait: *Erat et Sidoniæ vidua, quæ Eliam excepit pane et aqua, et auctorem famis non est reverita*. Quæ enim alienigenæ et inimici dantur, non amore proprio, sed ipsius Dei dari censentur.

IV. Liberaliter uni quinquaginta cados olei, alteri viginti coros tritici remisit. Qua de re apostolus, II. Cor. IX. ait: *Qui parce seminat, parce et*

metet, et qui seminat in benedictionibus (hoc est, largiter) *de benedictionibus et metet*. Bene comparat eleemosynam semini: *Ut discas, ait ibi Chrys. hom. XIX. quod plura recipis, quam das; neque dixit, largiter metet, sed in benedictionibus, quod illo multo majus est*. Tenuissimos vapores attrahit a terra sol, et copiosas inde in terram pluvias remittit: idem facit eleemosyna. Parcum ergo semen, paucam segetem; pauci vapores parcas ferent pluvias. Hinc Isaias, cap. VIII. *Cum effuderis, inquit, esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris; orietur in tenebris lux tua, requiem dabit tibi Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam; eris quasi hortus irriguus*. Quanta hæc est et quam liberalis remuneratio! Verum, si effuderis, hoc est, liberaliter impertiveris cor tuum esurienti. Audiamus et Chrys. hom. XXXVII. ad pop. « Non dare, sed cum copia dare, præsertim hoc est eleemosyna. Proptereaque propheta non simpliciter dixit, dedit, sed quomodo? Dispersit, dedit pauperibus. Quid enim utilitatis cum tantum abundans dederis, quantum si quis ex mari cyathum hauserit, et neque generosum viduæ mulieris animum imitatus sis? Quomodo vero dices: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam; cum secundum ejus misericordiam ipse non miserearis, forte neque secundum parvam? Etenim multum confundor, cum multos video divites equis cum frænis aureis insidentes, et post se trahentes servos auro micantes, et lectos habentes argenteos, vel aliam majorem jactantiam; et cum pauperi dandum fuerit, pauperibus pauperiores redditos. » Sic ille.

V. De melioribus dedit; de oleo scilicet et tritico, de selectis frugibus. Ad hoc hortatur Tobias filium suum, Tob. IV. his verbis: *Panem cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege*. Non alium panem aut mensam, non alias vestes, quam quibus ipse utebatur, communicandas vult pauperibus. Non ait: Da panem mucidum, nigrum, hordeaceum, quo servi aluntur; non vestes attritas et laceras, sed *panem tuum et vestimenta tua*. Similiter et Job: *Si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea!* Job. XXXI. Christus denique: *Cum facis convivium, ait Luc. XIV. voca pauperes, debiles, claudos et cæcos; et beatus eris*. In quem locum Albertus Magnus: « Confundantur hic, inquit, qui dicunt pauperibus non esse danda delicata, quamvis enim non eis non sint delicata porrigenda continue, ne assuescant: crudele tamen est dicere, quod nihil unquam delicati debeant porrigi pauperibus; quia sine deliciis omnimodis non potest

IV. PARS ÆSTIVALIS.

vivere natura humana. Neh. VIII. habet: *Comedite pingua et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi: pingua autem et mulsum sunt delicata*. » Primi Christiani ad lauta convivia pauperes convocabant; ita ut gentiles eos suggillarent, teste Tertulliano, in apol. c. XXXIX. « Et cœnulas nostras, inquit, præterquam sceleris (infanticidii, scilicet, quod in sacra communione Christum se manducare dicerent) infames, ut prodigas quoque suggillatis. Quibus respondet: Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus, etc. » Latet in pauperibus Christus, cui per ipsos damus: ipsi quoque sunt fratres nostri; et cur subinde mensa nostra non gaudeant? Nonne etiam canibus sæpe multi et mensa sua porrigunt holos optimos, quales ipsi comedunt?

VI. Cum discretione remisit uni plus, alteri minus, prout videbat ipsos, scilicet, indigere. Idem eleemosynario faciendum indicat, Ps. XL. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus*. Cum intellectus igitur et prudenter dispensanda est eleemosyna: atque præferendi in primis illi, qui præ verecundia petere non audent, ut scribit S. Bern. ad regem Siciliæ, ep. CCVII. *Beatus, inquit, qui intelligit, non super cupidum, sed super egenum et pauperem; illum, inquam, pauperem, qui invidus petit, et verecunde accipit, et accipiens glorificat Patrem suum qui in cœlis est*. Mendiculi, qui ostiatim quærunt victum, satis noti sunt, nec difficile victum inveniunt: at honesti et nobiles, qui, domi inclusi, premuntur inopia, nec mendicare audent, christiana industria quærendi et juvandi sunt. « Deinde cum omnibus prodesse non possis, ait S. Augustinus, lib. de doctr. christ. cap. XXII. his potissimum consulendum est, qui per locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte, junguntur. » Idem indicat apostolus ad Galat. VI. *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*. Tertio, senes junioribus præferendi, cæteris paribus. Id insinuat Eccl. cap. IV. dicens: *Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero (h. e. seni) humilia animam tuam, q. d. (ut Paulus de Palatio exponit) præfer senes pauperes aliis pauperibus*. Nec injuria, cum senectus honorabilis sit, interim et viribus exhausta, quominus victum sibi parare queat. Diogenes percontanti quid esset in vita miser-

rimum : *Senex, inquit, egenus; siquidem, ubi naturæ præsidia destituunt hominem, extraneis rebus fulcienda est imbecillitas.* Denique boni perversis, fideles infidelibus præponendi. Hoc voluit Eccl. cum dixit, cap. XII. *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem : da bono, et ne receperis peccatorem : benefac humili, et non dederis impio,* h. e. humili et bono da potius quam peccatori, juxta phrasin Hebræorum, qui, cum comparativo careant, positivum per negationem exprimunt. *Malus vir dolium est perforatum, in quod omnes immittens gratias, in vanum effudisti.* Benefacere malo est nutrire serpentem, qui te æque ac alios mordeat, ait Plut. in moral. Cæterum, cum facultas suppetit, etiam mali excludendi non sunt, quia ejusdem nobiscum naturæ, possuntque fieri boni vel ex ipsa etiam eleemosyna; vel certe dare eis potest, ut pium aliquod opus faciant, quæ duplex quædam eleemosyna est.

VII. Clam aliis convocavit, non omnes simul, sed, remotis arbitris, singulos debitores. Sic ergo danda eleemosyna, ut non vitietur vana gloria, ideoque mercede careat. Indicat id Eccl. c. XXIX. cum ait : *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo,* q. d. absconde in ejus sinu eleemosynam, ne per vanam gloriam avolet. Clarius adhuc Christus, Matth. VI. *Sit eleemosyna tua in abscondito,* veluti thesaurus, scilicet, ne diripiatur. Qua de re Origenes, hom. II. in Exod. ita scribit : « Refert sacra Scriptura, quod de tribu Levi quædam genuit masculum, nimirum Moysen, et videns infantem esse elegantem, occultavit eum mensibus tribus : vide, si non propterea nobis præcipitur, ne actus bonos in publico geramus, ne justitiam nostram coram hominibus faciamus, sed ut clauso ostio oremus Patrem in occulto, et quod facit dextra nostra, nesciat sinistra; nisi enim in occulto fuerit, diripietur, ab Ægyptiis invadetur, in flumen jactabitur, fluctibus submergetur, sicut filii Israel Ægyptii faciebant. Ergo, si faciam eleemosynam, quæ opus Dei est, masculum genero; sed si ita faciam, ut hominibus innotescat, et ab hominibus laudem quæram, et non occultavero, rapta est ab Ægyptiis, et in flumen demersa. » Sibi potius quam pauperi, vel Christo dat, qui pro vana gloria dat. Deinde pauperi si is honestus sit, non consulit, nisi ei occulte det. Bene Dominus, Matth. VI. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere.* Ubi D. Chrysologus, serm. IX. « Bene tuba, quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis : verecundiam pauperum non revelat, sed fatigat : ergo, homo, daturus Deo, da secreto, ut quod dederis non sit oneris, sed honoris. » Ita Booz ille præcepit suis messoribus, ut de

industria projicerent de suis manipulis, quo colligere eos Ruth absque rubore posset, Ruth. II. S. Nicolaus noctu clam injecit pauperi suas eleemosynas. Quin et Arcesilaus, ut refert Seneca, lib. II. de benef. amico pauperi subveniendum ratus, pulvino ejus clam sacculum subjecit, ut amicus invenisse potius sibi videretur aurum, quam accepisse.

VIII. Peccavit in hoc uno villicus, quod non ex propriis, sed ex heri sui bonis remiserit debitoribus, sicque eum, iterato læsum, sibi reddidit infensum. Ecce tibi vermem in fructu alioquin bono. Qui ergo sua eleemosyna Deum sibi facere propitium cupit, debet præter jam dicta et hoc observare, ut de suo det, juxta id Prov. V. *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuorum da ei.* In quem locum S. Augustinus, lib. de vita Christi, cap. XII. « Melius est, ait, te non facere eleemosynam, quam unde paucos tegis, inde plurimos denudare. Illam eleemosynam Deus comprobatur, quæ de justis laboribus ministratur, sicut scriptum est : *Honora Deum de tuis justis laboribus, etc.* Nam illam eleemosynam abominatur et reprobat, quæ de lacrymis præstatur alienis. » Aqua, si munda est, lavat; si immunda, inquinat : sic et eleemosyna, de qua Luc. XI. dicit Dominus : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Neque huic contradicit hodiernum evangelium, cum ait : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Non enim per mammona iniquitatis intelligit opes male partas, sed juste partas, ut alias videbimus.

CONCIO IV.

TRIA SATISFACTIONIS OPERA NON NIHIL FACILITANTUR.

I. Jejunium, seu carnis maceratio. — II. Oratio. — III. Eleemosyna.

THEMA.

Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam. Luc. XVI.

Vulgari proverbio dicimus : *Paupertas excitat artes.* Quod sane in hodierno villico ad inicitas redacto pulchre elucescit. Audierat hic a domino suo, deponendum se ab officio, et ad stipem redigendum. Quid igitur ipse? Varias excogitat artes et industrias vitæ conservandæ, atque in primis videt unam quidem esse, elaborando, panem quærere; sed displicuit ei labor. Ergo aliam adinvenit, stipem videlicet ostiatim conquirendam; sed nec istud placuit, quia probro-

sum id putabat. Tertiam igitur reperit, comparandum sibi favorem apud notos et amicos per largitiones. Verum, quia ex propriis id efficere non poterat, effecit ex alienis. Ecce tibi paupertatem artes excitantem. Pauperes nos omnes et obærat Deo sumus, ob plurima peccata, propter quæ quotidie oramus : *Dimitte nobis debita nostra.* Quid igitur faciemus? Qua ratione nos exsolvemus? Certe villicus iste in angustias redactus, digito nobis monstrat non unam, sed tres vias, quibus nos liberare a debitis possimus. Primo, fessionem seu laborem, si velimus per jejunium et alias corporis castigationes nosmetipsos punire. Secundo, stipem seu orationem sedulam et frequentem. Denique, eleemosynam. Atque ita monstrat nobis tria receptissima satisfactionis opera, quibus nos liberemus a contractis debitis. Verum videor mihi villicum non paucos villico huic persimiles; et alios quidem dicentes : *Fodere non valeo;* alios : *Mendicare erubesco;* alios, qui aliena malint rapere, quam sua elargiri. Quibus proinde occurrendum duximus, ne refugiant tria hæc saluberrima satisfactionis opera.

I. Sunt in primis qui fodere non norunt, h. e. carnem macerare jejniis, abstinentiis, genuflexionibus, vigiliis, frigore, æstu, laboribus, itineribus, multo minus ciliciis, flagellis, humi cubationibus, et hujusmodi mortificationibus. Quid faciemus istis? Ingerendum ante omnia carnem esse hostem nostrum internum et gravissimum, qui, nisi coerceatur, certissime perdet nos; sicut Eva. Adamum, sicut Jahel Sisaram, sicut Dalila Samsonem. Est enim similis equo, qui, si bene pastus sine fræno libere vegetur, sessorem suum ejiciet, aut in præcipitia ducet, mordebit, calcitrabit. Unde S. August. I. de salutarib. docum. c. X. ait : « Sicut equis fræna sunt imponenda, ita corpora nostra jejniis, vigiliis et orationibus sunt infrenanda. Nam quemadmodum aurigæ, si fræna relaxaverint, in præcipitia ducuntur : ita anima nostra cum ipso corpore, si ei frænum non imposueris, ad inferni præcipitia dilabetur. » Satis manifeste hoc apostolus docet ad Rom. VIII. scribens : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis :* et, I. Cor. IX. seipsum in hujus disciplinæ exemplum proponit, cum ait : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Quare, sicut aurigæ, munus est equis semper attendere, ne nimio saginentur pabulo, neque sine fræno liberi dimittantur, sed ut oneribus premanantur, et sub flagello contineantur; ita munus nostrum est carnem nostram modo consimili tractare. « Hoc est opus vestrum (inquit D. Augustinus, in cit. Pauli lo-

cum ad Rom. III.) in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere : » et mox : « Mortua est una delectatio, sed vivit altera : illam, dum non consentis, mortificas : cum cœperis omnino non delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra. » Sed ais : Hoc ipsum est, quod mihi difficile nimis est, carnem frænare. At tu qui hoc dicis, virne es an infans, qui equum domare nequeas? Nonne turpe est viro, si regi se et subigi patiat ab uxore? Spiritus tuus vir est, caro uxor est. « Multi indignantur adversus Adam, inquit S. Bernard. serm. I. de omnib. sanct. quod obedierit voci uxoris suæ plus quam Dei : et ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet audiunt plus quam Deum. Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo periculo positum, ascendentes cogitationibus in cor ejus, coarctari inter precem uxoris et præceptum creatoris, nonne clamaremus adversus illum, dicentes : Cave tibi, miser, vide ne feceris; seducta est mulier, non acquiescas ei? Ut quid ergo, quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuadendum similiter nobis ipsis? » Quid vero, si Adam ad ejusmodi exhortationem respondisset : Non valeo repugnare uxori meæ : non possum ei negare quod petit, tametsi animadverto quod jugulum meum petat; quid, quæso, dixissemus? Itane tu vir es, ut nequeas resistere mulieri? At quidem subjectæ? Et insidiant tuæ vitæ ac salutis? Non te pudet Adam? Atqui idem plane audire meretur qui asserit se fodere non valere, carnem suam frænare et coercere non posse. Verum dicent aliqui, uxorem esse diligendam quemadmodum et carnem propriam, uti docet apostolus ad Ephes. V. *Viri, inquit, debent diligere uxores suas, ut corpora sua : nemo enim unquam carnem suam odio habuit.* Sed ad hoc respondet S. Bernard. in Ps. Qui habitat, serm. X. « Cæterum, inquit, sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei a Domino : Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Diligat anima carnem suam, sed multo magis seipsam servet. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat quam divinæ. Denique, ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui caves a flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. »

Itaque, ut Bernardus monet, cogitet, homo qua ratione poterit sustinere in carne sua dolores gehennæ, si sustinere nequit modicam ejus castigationem, atque ab illicitis voluptatibus refrænationem. Nisi enim frænatur, tradet eum in manus dæmonum, sicut Dalila non repulsa nee